

ore contigit; in quo didrachma novæ prædicationis tanquam duo denarii (1) habebantur: Dei enim gloriam, & Dominum Christum in passione contuens prædicabat. *Hieronymus* (in sine Comment. in cap. 17. Matth.) Vel iste piscis (2) primus captus, est primus Adam, qui per secundum Adam liberatur; & id quod in ore ejus, hoc est in confessione, fuit inventum, pro Petro, & Domino redditur. *Origenes* (ubi supra.) Cum etiam videris avarum hominem ab aliquo Petro correctum, quod abstulit de ore ejus verbum pecuniæ; dices eum ascen-

(1) *Al.* habentur. (2) *Al.* qui primus.

diffe de mari, idest de fluctibus sollicitudinum avaritiæ, ad hamum rationalem; & comprehensum, atque salvatum ab aliquo Petro, qui eum docuit veritatem, ut pro fratre habeat imaginem Dei, idest eloquia ejus. *Hieronymus* (ubi supra.) Et pulchre illud ipsum quidem datur pretium; sed divisum est: quia pro Petro quasi pro peccatore pretium reddebatur; Dominus autem noster peccatum non fecit. Ostenditur autem similitudo carnis, dum eodem & Dominus, & servus pretio liberantur.

CAPUT XVIII.

(a) **I**N illa hora accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis putas major est in Regno Cælorum? Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis: nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cælorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in Regno Cælorum. Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit; qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.

(b) **V**æ mundo à scandalis. Necessè est enim ut veniant scandala; verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te. Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te. Bonum est tibi unum oculum habentem in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

(c) **V**idete ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis quia Angeli eorum in Cælis semper vident faciem Patris mei qui in Cælis est. Venit enim Filius hominis salvare quod perierat. Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centum oves, & erraverit una ex eis; nonne relinquit novaginta novem in montibus, & vadit querere eam quæ erravit? Et si contigerit ut inveniat eam; amen dico vobis, quia gaudet super eam magis quam super novaginta novem quæ non erraverunt. Sic non est voluntas ante Patrem vestrum qui in Cælis est, ut pereat unus de pusillis istis.

(d) **S**i autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem non te audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.

(e) **A**men dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quacumque petierint, fiet illis à Patre meo qui in Cælis est. Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

(f) **T**unc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccaverit in me frater meus, & dimittam ei? Usque septies? Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.

(g) **I**deo assimilatum est Regnum Cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatum est ei unus qui debebat ei decem millia talenta. Cum autem non haberet unde redderet, jussit eum Dominus ejus venditari, & uxorem ejus, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Proci dens autem servus ille orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. Egressus autem servus ille, invenit unum de servis suis, qui debebat ei centum denarios; & tenens, suffo-

cabat eum, dicens: Redde quod debes. Et proci dens servus ejus, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit; sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valde, & venerunt, & narraverunt domino suo omnia quæ facta fuerant. Tunc vocavit illum dominus suus, & ait illi: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui miserus sum? Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus quoad usque redderet unum servum debitum. Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unumquisque fratri suo de cordibus vestris.

(a) **H**ieronymus (in princ. Comment. in 18. cap.) Quia discipuli viderant pro Petro, & Domino idem tributum redditum, (1) ex æqualitate pretii arbitrati sunt omnibus Apostolis Petrum esse prælatum. *Chryostomus* (hom. 59.) Unde pasci sunt aliquid humanum; quod Evangelista designat dicens: In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis putas major est in Regno Cælorum? Verecundati siquidem passionem confiteri, quam pasci sunt, non dicunt manifeste: Petrum cur præhonorasti nobis? sed indeterminate interrogant: Quis major est? Quando autem tres præhonoratos viderunt, scilicet Petrum, Jacobum, & Joannem in transfiguratione, nihil tale pasci sunt; quando vero in unum solum contulit honorem, tunc doluerunt. Tu autem considera primum quidem quod nihil eorum quæ sunt in terris, querunt; deinde quod postea hanc passionem deposuerunt. Nos autem neque ad defectus eorum contingere possumus: neque enim querimus: Quis major est in Regno Cælorum? sed, Quis major est in regno terræ? *Origenes* (Matth. 18. tract. 5.) In his autem imitatores discipulorum esse debemus, si quando aliquid in nobis dubium quæritur, & non invenitur, ut cum omni consensu accedamus ad Jesum, qui potens est illuminare corda hominum ad intelligendum solutionem omnium questionum. Interrogemus etiam aliquem doctorum, qui præpositi habentur in Ecclesiis. Sciebant autem discipuli hoc interrogantes, quia non est æqualitas Sanctorum in regno cælesti; sed quomodo major, & qualiter vivens minimus, hoc discere cupiebant. Vel sciebant quis esset minimus, & quis magnus, ex eo quod supra Dominus dixerat; sed ex multis magnis quis esset major, hoc eis non erat manifestum. *Hieronymus* (ubi supra.) Videns autem Jesus cogitationes eorum (2) voluit desiderium gloriæ, humilitatis contentione sanare: unde sequitur: Et advocans Jesus parvulum statuit eum in medio eorum. *Chryostomus* (hom. 59. in Matth.)

S. Thom. Op. Tom. VIII.

(1) *Al.* ex qualitate. (2) *Al.* voluit desiderio gloriæ, humilitatis contentione sanare.

(3) *P. Nicolajus* habet per audientiam fidei. (4) *Fortè* opus. (5) *Al.* omittitur ita.

EX EDIT. P. NICOI. (a) Interlinealis quo ad priores appendices, quas divisim & sparsim habet; sed posterior est Anselmi.

Mihi videtur valde parvulum in medio statueri, omnibus passionibus exutum. *Hieronymus* (super *Et advocans Jesus parvulum.*) Ut in eo & ætatem quæreret, & similitudinem innocentie demonstraret. Vel certe parvulum statuit in medio eorum seipsum, qui non venerat ministrari, sed ministrare, ut eis humilitatis tribueret exemplum. Alii parvulum interpretantur Spiritum Sanctum, quem posuerit in cordibus discipulorum, ut superbiam in humilitatem mutaret. Sequitur: *Et dixit: Amen dico vobis: Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cælorum.* Non præcipit Apostolis ut ætatem habeant parvulorum, sed innocentiam, & quod illi per annos possident, hic possideant per industriam; ut malitia, non sapientia parvuli sint; ac si dicat: Sicut iste parvulus, ejus vobis exemplum tribuo, non perseverat in iracundia, lætus non meminit, videns pulchram mulierem, non delectatur, non aliud cogitat, & aliud loquitur; sic & vos, nisi talem habueritis innocentiam, & animi puritatem, in Regnum Cælorum non poteritis intrare. *Hilarius* (can. 18. in Matth. circ. princ.) Pueros etiam credentes omnes (3) per audientie fidem nuncupavit: hi enim patrem sequuntur, matrem amant, velle malum nesciunt, curam (4) operum negligunt, non insolefcunt, non oderunt, non mentiuntur, dictis credunt, & quod audiunt, verum habent. Littera ergo sic legitur. *Glossa* (a) *Nisi conversi fueritis* ab hac elatione, & indignatione, in qua modo estis, & efficiamini omnes (5) ita innocentes, & humiles per virtutem, sicut parvuli sunt per ætatem, non intrabitis in Regnum Cælorum. & quandoquidem aliter non intratur, quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in Regno Cælorum: quanto enim quis erit humilior, tanto major efficitur in Regno Cælorum. *Remigius*. Idest, in cognitione gratiæ, vel Ecclesiastica dignitate, vel certe in æterna beatitudine. *Hieronymus* (super *Quicumque se*

A 4 hu

humiliaverit.) Vel aliter. *Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste*, idest qui se in exemplum mei humiliaverit, hic intrabit in Regnum Cælorum.

Sequitur: *Et qui suscipit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.* Chrysothomus (hom. 59.) Ac si dicant: Non solum si tales efficiamini, mercedem accipitis, sed & si alios tales propter me honorabitis; & honoris qui est ad illos retributionem vobis determino regnum. Magis autem quo multo majus est ponit, dicens, *Me suscipit.* Hieronymus (super *Qui suscipit unum parvulum.*) Qui enim talis fuerit ut Christi imitetur humilitatem, & innocentiam, in eo Christus suscipitur: & prudenter, ne cum delatum fuerit Apostolis, se putent honoratos, adjecit, non suo illos merito, sed Magistri honore suscipiendos. Chrysothomus (homil. 59.) Deinde facile susceptibilem hunc sermonem facit, pœnam inducens: unde sequitur: *Qui autem scandalizat unum de pusillis istis, &c.* ac si diceret: Sicut qui hos honorant propter me, mercedem habent, ita & qui hos dehonoraunt, ultimam sustinebunt vindictam. Si autem convicium fundatum vocat, ne mireris: multi enim pusillanimes, ex eo quod despiciuntur, scandalizati sunt. Hieronymus (super *Qui scandalizaverit*). Nota, quod quid scandalizatur, parvulus est: majores enim scandala non recipiunt. Et quamquam generalis possit esse sententia adversus omnes qui aliquem scandalizant, tamen juxta consequentiam sermonis, etiam contra (1) Apostolos dictum intelligi potest; qui interrogando quis major esset in regno cælorum, videbatur inter se de dignitate contendere: & si in hoc vitio permansissent, poterant eos quos ad fidem vocabant, per suum scandalum perdere, dum Apostolos viderent inter se de honore pugnare. Origenes (Matth. 18. tract. 5.) Quomodo autem qui conversus est, & factus quasi puer, & minimus, est & potens scandalizari? Hoc sic possumus explanare. Omnis qui Filio Dei credit, & conversatur secundum evangelicos actus, conversus ambulat quasi puer; qui autem non convertitur ut fiat sicut puer, hunc impossibile est intrare in regnum cælorum. In omni autem credentium multitudine sunt quidam nuper conversi, ut fiant sicut parvuli, nondum autem sunt facti; hi pusilli habentur in Christo, & sunt scandali receptores. Hieronymus (super illud *Ut suspendatur*). Quod autem dicitur, *Expedit ei ut suspendatur malo asinaria in collo eius*, secundum ritum provincie loquitur, quo ma-

lorum criminum ista apud veteres Judæos pœna fuerat, ut in profundum ligato saxo demergeretur. Expedit autem ei: quia multo melius est pro culpa brevem recipere pœnam, quam æternis servari cruciatibus. Chrysothomus (hom. 59.) Consequens autem erat prioribus dicere, Me non suscipit, quod erat omni pœna amarior; sed quia (2) crassi erant, & prædicta pœna eos non movebat, comparatione exempli cogniti manifestat præparatam pœnam: propter hoc enim dicit, quod expedit ei hoc sustinere, quoniam eas alia gravior pœna expectat. Hilarius (can. 18. in Matth.) Mystice autem molæ opus labor est cæcitatatis: nam clavis jumentorum oculis aguntur in gyrum: & sub asini quidem nomine frequenter Gentes cognominatas reperimus, qui cæci laboris ignorantia continentur. Judæis autem scientiæ iter in lege præstitum est; qui si Christi Apostolos scandalizaverint, rectius, alligata collo mola asinaria, demersi in mari fuissent, idest Gentium labore depressi (3) ignorantia sæculi demonstrantur: quia illis tolerabilius fuerat nescisse Christum, quam Prophetarum Dominum non recepisse. Gregorius Lib. 11. Moral. (super illud Job 3. „ Ingrederis in abun- „ dantia sepulcrum: “ cap. 17. in nov. temp.) Vel alter. Quid per mare nisi faculum, quid per molam asinariam nisi actio terrena significatur? quæ cum colla mentis per stulta desideria stringit, hanc in laboris circuitum mittit. Sunt utique nonnulli qui dum terrenas actiones deserunt, & ad contemplationis studia humilitate postposita ultra intelligentiæ vires furgunt, non solum se in errorem dejiciunt, sed infirmos quosque de gremio veritatis dividunt. Qui ergo unum de minimis meis scandalizat, melius est fuerat, ligata collo mola asinaria, in mare projici: quia nimirum perverse menti expeditius esse potuisset ut occupata mundo terrena negotia ageret, quam per contemplationis studia ad multorum perniciem vacaret. Augustinus de Quæst. Evang. (Lib. 1. cap. 24.) Vel aliter. *Qui scandalizaverit unum ex pusillis istis*, idest ex pusillis, quales vult esse discipulos suos, non obtemperando, vel etiam contradicendo (sicut de Alexandro Apostolus dicit 2. Tim. 4.) *Expedit ei ut mola asinaria suspendatur in collo eius, & præcipietur in profundum maris*, idest congruit ei ut cupiditas rerum temporalium, cui stulti, & cæci alligantur, enim devinctum pondere suo deducat ad interitum.

Glos.

(1) Al. Apostolum. (2) Al. grossi. (3) Al. ignorantie. P. Nicolai habet in ignorantia sæculi demorarentur.

(b) *Glossa* (a) Dixerat Dominus, quod expedit ei qui scandalizatur, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus: cujus rationem assignans subdit: *Væ mundo à scandalis*, idest propter scandala. Origenes (tract. 5. in Matth. cap. 18.) Hoc non de elementis mundi intelligamus; sed hic homines, qui sunt in mundo, dicuntur mundus. Non sunt autem discipuli Christi de hoc mundo: unde non potest eis esse à scandalis vae: nam etsi multa sunt scandala, non tangunt eum qui non est de hoc mundo. Si autem adhuc est de hoc mundo, propterea quod diligit mundum, & quæ sunt in eo; tanta scandala comprehendent eum quantis fuerat obligatus in mundo.

Sequitur: *Neesse est enim ut veniant scandala.* Chrysothomus (homil. 60.) Cum autem dicit, *Neesse est*, non destruit libertatem arbitrii, neque necessitati aliarum rerum supponit: sed quod omnino futurum est, prædicit. Scandala quidem sunt prohibitiones rectæ viæ. Non autem prædictio Christi scandala inducit: neque (1) enim quia prædixit, propter hoc fit, sed quia omnino futurum erat, propter hoc (2) prædixit. Sed dicit aliquis: Si omnes corrigantur, & nullus sit qui scandala afferat, non ne mendacii argueretur hic sermo? Nequaquam: quia enim prævidit inemendatos futuros homines esse, propter hoc dixit: *Neesse est ut veniant scandala*; idest, omnino venient. Si autem corrigendi essent, non dixisset. *Glossa* (interlinearis.) *Vel neesse est ut veniant scandala*, quia sunt necessaria, idest utilia, ut per hoc qui probati sunt, manifesti fiant. Chrysothomus (hom. 60.) Scandala enim erigunt homines, & acutiores eos faciunt; & eum qui cadit, velociter erigunt, in quantum scilicet ingerunt sollicitudinem. Hilarius (can. 18.) Vel humilitas passionis scandalum mundo est, quod sub deformitate crucis æternæ gloriæ Dominum voluit accipere. (3) Et quid mundo tam periculosum quam non recepisse Christum? Ideo vero neesse ait venire scandala, quia ad sacramentum reddendæ nobis æternitatis, omnis in eo passionis humilitas esset complenda. Origenes (ubi supra à med.) Vel venientia scandala sunt angeli satanæ. Nec tamen putes secundum naturam, vel substantiam esse hujusmodi scandala: sed libertas arbitrii in quibusdam genuit scandalum, (4) nolens suscipere pro virtute laborem. Non potest autem esse verum bonum, nisi habeat impugnationem mali. Sic ergo ne-

cesse est venire scandala, sicut neesse est suffineret malitiam celestium; qua tanto magis irritantur, quanto magis verbum Christi in hominibus invalescens, expellit ab eis malignas virtutes. Quærunt autem organa per quæ scandala operentur, quibus est magis vae: nam multo pejus erit ei qui scandalizat, quam ei qui scandalizatur: unde sequitur: *Verumtamen vae homini illi per quem scandalum venit.* Hieronymus (super *Si manus tua scandalizat*). Ac si dicat: Vae homini illi qui vitio suo facit ut per se fiat quod neesse est ut in mundo fiat. Simulque per generalem sententiam percutitur Judas, qui proditori animum præparaverat. Hilarius (can. 18.) Vel sub hominis nuncupatione actorem scandali hujus quod est (5) circa passionem Christi, Judaicum populum designat, per quem omne huic mundo periculum comparatur, ut Christum in passione abnegent, quem lex & Prophetæ passibilem prædicaverunt. Chrysothomus (homil. 60. in Mat.) Ut autem discas, quod non sunt absolutæ necessitatis scandala, audi quæ sequuntur: *Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te &c.* Non autem hoc de membris corporalibus dicit, sed de amicis, quos in ordine necessariorum membrorum habemus: nihil est enim ita nocivum ut conversatio mala. *Rabbatus* (super *Si oculus*). Scandalum quippe sermo Græcus est, quod nos offendiculum, vel ruinam, & impactionem pedis dicere possumus. Ille ergo scandalizat fratrem qui eisdem, factove minus recto occasione ruinæ dedit. Hieronymus (ubi supra.) Igitur omnis truncatur affectus, & universa propinquitas amputatur: ne per occasione pietatis uniusquisque credentium scandalis pateat. Si, inquit, ita est tibi conjunctus ut manus, pes, & oculus, & est utilis, atque sollicitus, & acutus ad perspiciendum; scandalum autem tibi faciat, & propter motum dissonantiam te pertrahat in gehennam: melius est ut propinquitate ejus careas, & emolumentis carnalibus, quam dum vis lucrifacere cognatos, & necessarios, causam habes ruinarum. Novit enim unusquisque credentium quid sibi noceat, vel in quo sollicitetur, ac sæpe tenetur: melius est enim vitam solitariam ducere, quam ob vitæ præsentis necessaria vitam æternam perdere. Origenes (Matth. 18. tract. 5.) Vel sacerdotis rationabiliter possunt dici Ecclesiæ oculus, quoniam speculatores habentur; diaconi autem, cæterique, manus, quia per eos opera spiritua-

(1) Al. desit. enim (2) Al. prædixerit. (3) Al. Et quod in mundo. (4) Al. volens. (5) Al. extra.

Ex edit. P. Nicol. (a) Non est in Glossa quæ nunc extat, nec in Anselmo, nec alibi occurrit.

lia geruntur; populus autem sunt pedes corporis Ecclesiæ: quibus omnibus parcere non oportet, si scandalum Ecclesiæ facti fuerint. Vel actus animæ, peccans manus intelligitur; & incessus animæ, peccans pes; & visus animæ, peccans oculus: quos oportet præcedere, si scandalum præbent; frequenter enim ipsa opera membrorum pro membris in Scriptura ponuntur.

(c) *Hieronymus* (super *Videte ne contemnatis*.) Supra dixerat Dominus per manum, & pedem, & oculum, omnes propinquitates, & necessitudines quæ scandalum facere sententiæ subiecto præcepto temperavit, dicens: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis*; ac si dicat: Quantum in vobis est, nolite contemnere; sed post vestram salutem etiam illorum quærite sanitatem. Sin autem perseverantes in peccatis videritis, melius est vos salvos fieri quam perire cum multis. *Chrysostomus* (hom. 60.) Vel aliter. Sicut fugere malos, ita honorare bonos magnum habet lucrum. Supra ergo docuit scandalizantium abscindere amicitias; hic autem docet exhibere sanctis honorem, & procuratio-nem. *Glossa*. (a) Vel aliter. Quia tantum malum provenit ex scandalizatis fratribus; *videte ne contemnatis unum ex his pusillis*. *Origenes* (ut supra.) Pusilli autem sunt qui nuper in Christo sunt nati; aut tales qui permanent sine profectu, quasi nuper nati. Non autem habuit necesse mandare Christus de perfectioribus fidelibus non contemnendis, sed de pusillis; sicut & supra dixerat: *Si quis scandalizaverit unum ex pusillis istis*. Alius autem forte dicit: Pusillum hic dicit perfectum, secundum quod alibi ait (Luc. 22.) „ Qui minimus fuerit in vobis, hic erit major. “ *Chrysostomus* (hom. 60.) Vel quia perfecti parvuli apud multos æstimantur, scilicet pauperes, & contemptibiles. *Origenes* (ubi supra.) Sed huic expositioni non videtur convenire quod dicitur, *Si quis scandalizaverit unum de pusillis istis*: perfectus enim non scandalizatur, nec perit. Sed qui hanc expositionem æstimat veram, dicit quod iusti homini anima vertibilis est, & scandalizatur aliquando, etsi non facile. *Glossa* (b). Ideo autem non sunt contemnendi, quia adeo cari sunt Deo quod Angeli sunt eis ad custodiam deputati: unde sequitur: *Dico enim vobis, quia Angeli eorum in Cælis semper vident faciem Patris mei qui in Cælis est*. *Origenes* (Matth. 18. tract. 5.) Qui-

dam volunt ex eo dari hominibus Angelum adiutorem ex quo per lavacrum regenerationis nati sunt infantes in Christo; dicentes non esse (1) credibile, incredulis, & errantibus præesse Angelum sanctum; sed tempore infidelitatis, & peccatorum est homo sub angelis satanæ. Alii autem volunt mox cum quis fuerit natus eorum qui præcogniti sunt à Deo, accipere sibi præpositum Angelum. *Hieronymus* (super *Videte ne contemnatis*.) Magna enim dignitas animarum ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum. *Chrysostomus* (hom. 60.) Hic autem non de quibuscumque Angelis loquitur, sed (2) superioribus. Cum enim dicat, *Vident faciem Patris mei*, nihil aliud ostendit quam magis liberam præsentiam, & majorem eorum (3) apud Deum. *Gregorius* (in homil. 34. in Evang.) Dionysius autem dicit quod ex minoribus Angelorum agminibus ad explendum ministerium vel visibiliter, vel invisibiliter mittuntur: nam superiora illa agmina usum exterioris ministerii nequaquam habent. *Gregorius* 2. Moral. (cap. 3. vel 2. in nov. exemp.) Et faciem ergo Patris Angeli semper videntes, & tamen ad nos veniunt: quia ad nos spirituali præsentia foras exeunt, & tamen ibi se unde recesserant, per internam contemplationem servant: neque enim sic à divina visione foras exeunt ut internæ contemplationis gaudiis priventur. *Hilarius* can. 18. Salvandorum igitur per Christum orationes Angeli Deo quotidie offerunt: ergo perfectus ille contemnitur cuius desideria ac postulationes ad æternum, & invisibilem Deum, Angelorum famulatur, ac ministerio (4) perventur. *Augustinus* ult. de Civ. Dei (cap. 29.) Vel Angeli nostri dicuntur qui sunt Angeli Dei, Dei sunt, quia Deum non reliquerunt; nostri sunt, quia suos cives nos habere cœperunt. Sicut ergo nunc illi vident Deum; ita & nos sumus visuri facie ad faciem: de qua visione dicit Joannes (Epist. 1. cap. 3.) „ Videbimus eum sicuti est. “ Facies enim Dei manifestatio ejus intelligenda est, non aliquod tale membrum, quale nos habemus in corpore, atque isto nomine nuncupamus. *Chrysostomus* (homil. 60.) Rursus aliam rationem ponit, quare pusilli non sint contemnendi, priore majorem: dicens: *Venit enim Filius hominis salvare quod perierat*. *Remigius*. Quasi dicat: Non contemnatis pusillos, quia ego pro hominibus homo fieri dignatus sum. Cum enim dicit, *Quod perierat*, subintelligendum est genus humanum:

(1) *Al.* incredibile. (2) *Al.* supervenientibus. (3) *P. Nicolai* supplet honorem. (4) *Al.* perveniunt.

Ex edit. P. Nicol. (a) Sive Anselmus. (b) Non iterum in Glossa hæc extant, sed in Anselmo immediate post prædicta.

omnia enim elementa suam ordinem servant; sed homo erravit, quia suum ordinem perdidit. *Chrysostomus* (ubi supra.) Deinde ad hanc rationem parabolam copulat, per quam & Patrem inducit salutem hominum volentem, dicens: *Quid vobis videtur, si fuerint aliqui centum oves? Gregorius* (in hom. 34. in Evang.) Hoc ad ipsum auctorem hominum pertinet: quia enim centenarius perfectus est numerus, ipse centum oves habuit, cum Angelorum, & hominum substantiam creavit. *Hilarius* (can. 18.) Ovis autem una homo intelligendus est, & sub (1) homine universitas sentienda est: in unius enim Adæ errore, omne hominum genus aberravit. Igitur & quærens hominem Christus est, & nonaginta novem relicta cælestis gloriæ multitudo est. *Gregorius* (ut supra.) Dicit autem Evangelista eas relictas in montibus, ut significat in excelis: quia nimirum oves quæ non perierant in sublimibus stabant. *Beda*. Ovem ergo Dominus invenit, quando hominem restauravit: & super eam inventam majus gaudium est in Cælo, quam super nonaginta novem: quia major materia divinæ laudis est in restauratione hominum quam in creatione Angelorum. Mirabiliter enim Angelo creavit, sed mirabilius hominem restauravit. *Rabbanus* (super *Si fuerint alicui centum oves*.) Nota, quod unum deest à novem ut decem sint, & à nonaginta novem ut centum sint. Variari ergo per brevitariem, & magnitudinem numeri possunt, quibus unum (2) deest ut perficiantur; ipsum vero unum sine varietate in se manens, cum accesserit, cæteros perficit. Et ut perfecta summa olium integraretur in Cælo; homo, perditus quærebatur in terra. *Hieronymus*. Alii vero nonaginta novem ovibus, justorum putant numerum intelligi, & in una ovicula, perfectorum; secundum quod in alio loco dixerat (supra 9.) *Non veni vocare justos, sed peccatores*. *Gregorius* (in hom. 34. in Evang.) Considerandum autem nobis est cur Dominus plures de conversis peccatoribus, quam de stantibus iustis gaudium esse fateatur: quia scilicet plerumque pigri remanent ad exercenda bona præcipua qui valde sibi securi sunt, quod nulla commiserunt mala gravaria. At contra nonnumquam hi qui se (3) aliquid egisse illicite meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti inardescunt in amore Dei: & quia se errasse à Deo considerant, damna præcedentia lucris subsequenteribus recompensant: sic & dux in prælio plus eum militem diligit qui post fugam conversus hostem fortiter premit, quam

illum qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter fecit. Sed de sunt quidam iusti, de quibus tantum est gaudium ac eis nullus penitens præponi possit, qui etiam non sine sibi malorum conscientia, tamen licita respuant, & in omnibus se humilia. Quantum ergo gaudium est si humiliter plangat iustus, cum gaudium sit, si quod male gessit, damnat injustus? *Beda*. Vel per nonaginta novem oves, quas in montibus reliquit, superbos significat, quibus ad perfectionem unitas deest. Cum ergo invenerit peccatorem, magis super eum gaudet, id est suos gaudere facit, quam super iustos falsos. *Hieronymus* (super *Sic non est voluntas ante Patrem*.) Quod autem subditur, *Sic non est voluntas*, refertur ad superius propositum, de quo dixerat: *Videte, ne contemnatis unum de pusillis istis*: & docet idcirco parabolam positam, ut pusilli non contemnantur. In eo autem quod dicit, *Non est voluntas ante Patrem* &c. ostendit quod quotiescumque perierit aliquis ex pusillis, non voluntate Patris perit.

(d) *Chrysostomus* (hom. 61. in principio.) Quia superius vehementer sermonem adversus scandalizantes proposuit, tandem eos terrens; ne rursus hi quibus scandala inferuntur, sic fiant resupini ut totum contemnent in aliud vitium incidant, scilicet negligentiam; (4) ac per omnia sibi parci volentes, in elationem incidant: hic Dominus eos comprimit, & re-dargutionem fieri jubet, dicens: *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum*. *Augustinus* de Ver. Dom. (serm. 16. in princ.) Admonet nos quidem Dominus noster non negligere invicem peccata nostra, non querendo quid reprehendas, sed videndo quid corrigas. Debemus enim amando corripere, non nocendi aviditate, sed studio corrigendi. Si neglexeris, peior eo factus es. Ille injuriam faciendo, gravi seipsum vulnere percussit; tu vulnus fratris contemnis: peior es tacendo, quam ille conviciando. *Augustinus* 1. de Civit. Dei, cap. 9. Plerumque enim à malis docendis, & admonendis, aliquando etiam objurgandis, & corripiendis male dissimulatur, vel etiam laboris pigritia, vel cum eorum inimitias devitamus, ne impediatur, & noceant in istis temporalibus rebus; sive quas adipisci adhuc nostra cupiditas appetit, sive quas adhuc amittere formidat infirmitas. Si autem propterea quique objurgandis, & corripiendis male agentibus parci, quia opportunitas tempus inquiritur, vel eisdem ipsis metuatur, ne deteriores ex-

S. Thom. Oper. Tom. VIII. B 4 hoc (1) *Al.* homine uno. (2) *Al.* deest ut perficiantur: item deest, & ut perficiantur: item deficit ut perficiantur. (3) *Al.* aliud. (4) *Al.* sed scandalizantes, per omnia sibi parci volentes, in elevationem &c.

hoc efficiantur, vel ad bonam vitam, & piam erudiendos impediunt alios infirmos, aut premant, atque avertant a fide; non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium caritatis. Longe autem graviorem habent causam Ecclesiarum præpositi qui in Ecclesiis constituti sunt ut non parcant oburgando peccata; nec ideo tamen ab huiusmodi culpa penitus alienus est qui, licet præpositus non sit, in eis tamen quibus vitæ huius necessitate coniungitur, multa monenda, vel arguenda novit, & negligit: devotans eorum offensiones propter illa quibus in hac vita non indebitè utitur, sed plusquam debuit delectatur. *Chrysostomus*, hom. 61. parum à prin. Considerandum autem, quod quandoque Dominus eum quem contristavit, ad eum qui contristatus est ducit, sicut cum dicit supra 5. *Si recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, vade reconciliari fratri tuo.* Quandoque autem eum qui iniusta passus est, jubet dimittere proximo; sicut ibi, supra 6. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Hic autem alium excogitat modum: eum enim qui contristatus est, ducit ad eum qui contristavit; & ideo dicit *Si peccaverit in te frater tuus*: quia enim ille qui iniusta fecit, non facile veniret ad excusationem; verecundatus, hunc qui passus est ad illum trahit; & non simpliciter, sed ut corrigat quod factum est: unde dicit: *Vade, & corripue eum.* *Rabbanus*, hoc loco. Non passim jubet peccanti dimittere, sed audienti, id est (1) obedienti, & poenitentiam agenti: ne vel difficilis sit venia, vel remissa indulgentia. *Chrysostomus* (homil. 61. in Matth.) Non autem dicit, *Accusa*, neque increpa, neque vindictas expe-te; sed *Argue*; id est, rememora sibi peccatum, dic ei quæ ab eo passus es. Ipse enim ira, & verecundia detinetur, ebrius factus quasi gravi somno. Unde oportet te, qui sanus es, ad illum qui ægrotat abire. *Hieronymus* (super *Si peccaverit in te frater*). Sciendum tamen, quod si peccaverit in vos frater vester, & in qualibet causa vos læserit, dimittendi habetis potestatem, immo necessitatem: quia præcipitur ut debitoribus nostris debita dimittamus: propter quod & hic dicitur: *Si peccaverit in te frater tuus.* Si autem in Deum quis peccaverit, non est nostri arbitrii. Nos è contrario, in Dei injuria benigni sumus, in nostris contumellis exercemus odia. *Chrysostomus*, hom. 61. Ideo autem præcipit arguere ei qui passus est injuriam, & non alii, quia ille qui fecit injuriam, ab eo mansuetus sustinet, & maxime cum solus eum corripiat. Cum enim qui vindictam expetere debebat, hic

(1) *Al.* deest obedienti. (2) *Al.* fratrem solum.

salutis videtur diligentiam habere: maxime hoc eum potest propitium facere. *Augustinus* de Ver. Dom. (ser. 16. ant. med.) Quando ergo in nos aliquis peccat, habeamus magnam curam, non pro nobis, nam gloriosum est injuriam oblivisci; sed obliviscere injuriam tuam, non vulnus fratris tui: ergo corripere inter te & ipsum solum, studens correctioni, parcens pudori. Forte enim præ verecundia incipit defendere peccatum suum, & quem vis facere correctiorem, facis pejorem. *Hieronymus*, ubi supra. Corripiendus est enim seorsum frater, ne si semel pudorem, atque verecundiam amiserit, permaneat in peccato. *Augustinus* de Ver. Dom. serm. 16. Apostolus autem dicit, 1. Thess. 5. Peccantem coram omnibus argue; ut & ceteri timorem habeant. Aliquando ergo scias corripiendum esse (2) fratrem inter te & fratrem solum, aliquando autem coram omnibus. Quid autem ante facere debeamus, intendite, & videte: *Si peccaverit*, inquit, *in te frater tuus, corripue eum inter te & ipsum solum.* Quare? Quia in te peccavit? Quid est, in te peccavit? Tu scis quia peccavit: quia enim secretum fuit quando in te peccavit, secretum quare cum corrigis quæ peccavit. Nam si solus nosti, quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere; non es corrector, sed proditor. Peccavit ergo in te frater tuus; sed si tu solus nosti, tunc vere in te solum peccavit: nam si multis audientibus tibi fecit injuriam, & in illos peccavit, quos testes suæ iniquitatis efficitur. Ergo ipsa corripienda sunt coram omnibus, quæ peccatum fuit secretius; ipsa corripienda sunt secretius, quæ peccatum secretius. Distribuite tempora, & concordate Scripturas. Quare autem proximum corrigis? Quia tu doles quod peccaverit in te? Absit. Si autem amore tui id facis, nihil facis; si amore illius facis, optime facis: Denique in ipsis verbis attende cujus amore id facere debeas: utrum tui, an illius: sequitur enim: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Ergo propter illum fac, ut lucreris illum. Agnosce, quia in hominem peccando peristi: nam si non perieras, quomodo te lucratus est? Nemo ergo contemnat quando peccat in fratrem. *Chrysostomus* (hom. 61. in Matth.) In quo etiam demonstratur quod inimicitia damnus est commune; & propter hoc non dixit, quod ille lucratus est seipsum, sed quod tu lucratus es eum: ex quo ostendit quoniam & tu, & ille damnus passus eratis ex discordia. *Hieronymus* ubi supra. Per salutem enim alterius nobis quoque acquiritur salus. *Chrysostomus*, ut supra. Quid autem facere debeas, si non persuadear, hic

subditur: *Si autem te non audierit, aânibe te cum unum, vel duos.* Quanto enim inverecundior fuerit, & pertinacior, tanto magis non ad medicinam studere oportet, non ad iram, & odium. Etenim medicus cum viderit morbum non remitti, non desistit, sed tunc magis preparatur ad curandum. Vide autem qualiter non vindictæ gratia hæc correptio fit, sed emendationis: & propter hoc non confestim jubet duos accipere, sed quando ipse, corrigi non voluerit; neque tunc ad eum mittit multitudinem, sed unum, vel duos; & ad hoc legis testimonium inducit, dicens: *Ut in ore duorum, testimonium, vel trium stet, omne verbum;* quasi dicat: Habes jam testimonium, quia totum fecisti quod tuum erat. *Hieronymus* (ibidem.) Vel intelligendum est hoc modo. Si te audire noluerit, abhibeatur unus frater tantum: quod si nec illum audierit, adhibeatur & tertius, vel corrigendi studio, ut scilicet vel admonitione, aut pudore corrigatur; vel convenienti sub testibus. *Glossa.* (a) Vel si dixerit, non esse peccatum, ut probent illud esse (1) peccatum. *Hieronymus* (ibidem.) Porro si nec illos audire voluerit, tunc multis dicendum est, ut detestationi eum habeant; ut qui non potuit pudore salvari, salvetur opprobriis: unde sequitur: *Quod si non audierit eos, dic Ecclesie.* *Chrysostomus* (hom. 61.) Id est his qui Ecclesie præsentibus. *Glossa.* Vel dicitori Ecclesie, ut majorem erubescantiam patiatur. Post hæc omnia sequitur excommunicatio, quæ fieri debet per os Ecclesie, id est per sacerdotem, quo excommunicante tota Ecclesia cum eo operatur: unde sequitur: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* *Augustinus* de Ver. Dom. (serm. 16.) Id est, noli illum jam deputare in numero fratrum tuorum; nec sic tamen salus ejus negligenda est: nam & ipsos ethnicos, id est gentiles, & paganos, in numero quidem fratrum non (2) deputamus, sed tamen eorum salutem semper inquirimus. *Chrysostomus* (hom. 61.) Nihil tamen tale præcepit Dominus observandum in his qui extra Ecclesiam sunt, quale præcepit hic de fratribus corripiendis. Sed de exterioribus dicit supra 5. *Si quis perverterit te in una maxilla, præbe ei & aliam;* quod & Paulus dicit 1. Corinth. 5. Quid mihi est de his qui foris sunt, judicare? Fratres autem & argue-re, (3) & avertere jubet. *Hieronymus* (ubi supra.) Quod autem dicit, *Sicut ethnicus, & publicanus*, ostenditur majoris esse detestationis qui sub

(nomine fidelis agit opera infidelium, quam hi qui aperte gentiles sunt. Publicani enim vocantur qui sæculi sectantur lucra, & exigunt vectigalia per negotiationes, & fraudes, ac furta scelera, atque perjuria. *Origenes* (tract. 6. in Matth. cap. 18.) Videamus autem ne forte sententia hæc, non de quocumque peccato posita sit: quid enim si aliquis peccaverit aliquid peccatorum quæ sunt ad mortem: puta masculorum concubitor factus, adulter, homicida, aut mollis: numquid talem rationis est arguere solum ad solum. Et, si audierit, statim eum dicere lucre factum: (4) & non prius expulserit eum de Ecclesia, nisi postquam coram testibus argutus, & ab Ecclesia, perliterit in actu prior? Alius autem respiciens ad immensam misericordiam Christi, dicit, quoniam cum verba Christi nullam faciant differentiam peccatorum, contra Christi misericordiam faciunt qui hæc ad minima tantum peccata pertinere distinguunt. Alius contra, causæ ipsa verba considerans, non de omni peccato hæc dicta defendet: quoniam qui grandia illa peccata facit, non est frater, sed nominatur frater; cum quo, secundum Apostolum, non oportet nec cibum sumere. Sicut autem negligentibus peccandi occasionem dant qui (5) ad omne peccatum hoc pertinere exponunt; sed è contra qui docet in minimis, & non mortiferis peccatis peccantem post argutionem testium, vel Ecclesie, fieri oportere sicut ethnicum, & publicanum; aliquid crudelitatis videtur inducere. Utrum enim omnino pereat, pronuntiare non possumus. Primum, quia qui ter argutus non obediit, potest in quarto obedire; deinde quia aliquando non secundum opera hominis redditur ei, sed amplius quam peccavit, quod expedit in hoc mundo; demum quia non dixit solum, *Sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*; sed *Sit tibi.* (6) Qui ergo in peccato levi correctus ter, non se emendat, nos quidem debemus eum habere sicut ethnicum, & publicanum, absinentes ab eo, ut confundatur. An autem etiam à Deo quasi publicanus, & ethnicus diceretur, non est nostrum pronuntiare, sed est in judicio Dei.

(e) *Hieronymus* (super *Amen dico vobis*). Quia dixerat: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus;* & poterit contempti fratris hæc esse responsio, vel tacita cogitatio: Si me despicias, & ego te despicio; si me condemnas, & tu mea sententia condemna-

(1) *Al.* necessarium. (2) *Al.* putamus. (3) *Al.* advertere. (4) *P. Nicolajus* habet & si non audierit, non prius expellat eum &c. (5) *Idem* apponit non. (6) *Al.* Si ergo non. Ex edit. P. Nicolaj. (a) Non est in Glossa quæ nunc extat, sed in Anselmo, ut & illud quod paulo infra rursus ex Glossa prænotatur.

veris; potestatem tribuit Apostolis ut sciant (1) qui talibus condemnantur, humanam sententiam divina sententia corroborari unde dicitur: *Amen dico vobis: quicumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quicumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Origenes (tract. 6. in 18. cap. Matth.) Non dixit, In cælis, sicut Petro, sed *In cælo* uno: quia non sunt tantæ perfectionis sicut Petrus. Hilarius (can. 18.) Per hoc tamen ad terrorem maximi metus, quoad præsens omnes continentur, immobile severitatis apostolicae iudicium demonstravit, ut quos in terris alligaverint, id est peccatorum nodis (2) innexos reliquerint, & quos solverint, concessionem scilicet veniæ acceperint in salutem, hi in cælis ligati sint, vel soluti. Chrysostomus (hom. 61.) Et notandum quod non dixit primari Ecclesiæ, Liga talem; sed Si ligaveritis, indissolubilia erunt ligamina; quasi hoc reus iudicio dimittens. Vide autem qualiter corrigibilem duplicibus colligavit necessitatibus: scilicet & pena quæ est hic, scilicet projectione ab Ecclesiâ, quam supra posuit, dicens, *Sit tibi sicut ethnicus; & supplicio futuro, quod est ligatum esse in cælo: ut multitudine iudiciorum dissolvat fratris iram.* Augustinus de Verb. Domini (serm. 16.) Vel aliter. *Cepisti habere fratrem tuum tamquam publicanum, ligans eum in terra; sed ut iuste alligares, vide: nam iniusta vincula dirumpit iustitia. Cum autem correxeris, & concordaveris cum fratre tuo, solvisti illum in terra: cum solveris in terra, solutus erit & in cælo. Multum præstas non tibi, sed illi, quia multum nocuit non tibi, sed tibi.* Glossa (a) ordinaria. Non solum autem de excommunicatione, sed etiam de omni petitione, quæ fit à consentientibus in unitate Ecclesiæ, dat confirmationem, cum subdit: *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, vel penitentem recipiendo, vel superbum abjiciendo, (3) de omni re, quam petierint, quæ non est contraria Ecclesiæ unitati, fiet illi à Patre meo qui in cælis est.* Per hoc autem (4) quod dicit, *Qui in cælis est, eum super omnia esse ostendit, & per hoc completere eum posse quod petitur. Vel in cælis est, id est in sanctis; quod valet ad probandum, quod fieri illis quicquid petierint quod dignum sit, quia illum apud se habent à quo petunt. Unde rata est sententia consentientium, quia Deus cum eis habitat; & ideo sequitur: *Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Chrysostomus (hom.*

61.) Vel quia dixerat, *Fiet illis à Patre meo, ut ostendat se etiam esse datorem simul cum Patre, subdit, *Ubi sunt enim duo, vel tres.* Origenes (ubi supra.) Non autem dixit, *In medio eorum* (5) ero; sed sum: mox enim ut aliqui consenserint, Christus invenitur in eis. Hilarius (can. 18.) Ipse enim qui pax, atque caritas est; sedem atque habitationem in bonis atque pacificis voluntatibus collocabit. Hieronymus (super *Si duo ex vobis consenserint.*) Vel aliter. *Omnia superior sermo ad concordiam nos provocaverat: igitur & præmium pollicetur, ut sollicitus festinemos ad pacem, cum se dicat inter duos, vel tres medium fore.* Chrysostomus (hom. 61.) Non autem dixit simpliciter, *Ubi congregati fuerint;* sed addit, *In nomine meo;* quasi dicat: Si quis (6) me principalem causam amicitia ad proximum habuerit, cum eo ero, si & in aliis virtuosus erit. Quomodo ergo non ibi consentientes consequuntur id quod petunt? Primo quidem quia non expedita petunt. Secundo quia indigni sunt qui petunt, & ea quæ sunt à seipsis non inferunt: unde dicit, *Si duo ex vobis, qui evangelicam ostenditis conversationem.* Tertio quia adversus eos qui contristaverunt orant vindictam querentes. Quarto quia petunt misericordiam peccantibus qui non penituerunt. Origenes (Matth. 18. tract. 6.) Et ista est etiam causa propter quam non exaudimur orantes, quia non consentimus nobis per omnia super terram, neque dogmate, neque conversatione. Sicut enim in musicis, nisi fuerit convenientia vocum, non delectat audientem; sic in Ecclesiâ, nisi consensum habuerit, non delectatur Deus in ea, nec audit voces eorum. Hieronymus (ubi supra.) Possimus autem & hoc spiritualiter intelligere, quod (7) ubi spiritus, & anima; corruptelque consenserint, & non intra se bellum diversarum habuerint voluntatum; de omni re quam petierint, impetrant à Patre, nulli enim dubium est quin bonarum rerum postulatio sit, ubi corpus vult habere ea quæ spiritus. Origenes (Matth. 18. tract. 6.) Vel in quo duo testamenta consentiunt sibi, ejus invenitur oratio de omni re acceptibilis Deo.*

(f) Hieronymus (super *Quoties peccabit in me?*) Supra dixerat Dominus, *Videte ne contemnatis unum de pusillis istis; & adjecerat, *Si peccaverit in te frater tuus &c.* & præmium repromiserat, dicens, *Si duo ex vobis &c.* unde provocatus Apostolus Petrus interrogat; & hoc est quod dicitur: *Tunc accedens ad eum Petrus,**

(1) Al. quod qui. (2) Al. innoxios. (3) Al. vel de alia re quam petierint. (4) Al. omittitur quod. (5) Al. desideratur eto. (6) Al. propter me principalem. (7) Al. nisi.

EX EDIT. P. NICOL. (a) Non est in Glossa quæ nunc extat, sed in Anselmo.

dixit: *Domine, quoties peccaverit in me frater meus, & dimittam ei?* & cum interrogatione profert sententiam, dicens, *Usque septies? Chrysostomus* (hom. 62.) Putavit quidem Petrus aliquid se magnum dicere. Sed quid amator hominum Christus responderit, subditur: *Dicit illi Jesus: Non tibi dico usque septies; sed usque septuagies septies.* Augustinus de Ver. Dom. (serm. 16.) Audeo dicere: Et si septuagies octies peccaverit, ignoscas; & si centies; & omnino quotiens peccaverit, ignosce. Si enim Christus millia peccatorum invenit, & tamen omnia donavit; non subducere misericordiam. Ait enim Apostolus (Coloss. 3.) „Donantes „volmetipsis; si quis adversus aliquem habet „querelam, sicut & Deus in Christo donavit „nobis.“ Chrysostomus (ubi supra.) Cum ergo dicit, *Usque septuagies septies,* non numerum determinatum ponit, ut numero concludat remissionem; sed quod continue & semper est significavit. Augustinus de Ver. Dom. (serm. 15.) Non tamen sine causa Dominus *Septuagies septies* dixit: nam lex decem præceptis commendatur: lex enim per decem, peccatum per undecim significatur, quia transgressio denarii est. Septem autem solet pro toto computari, quia septem diebus voluitur tempus. Duc autem septies undecim, fiunt septuagies septies. Omnia ergo peccata dimitti voluit, quia ea septuagesimo septimo numero præsignavit. Origenes (tract. 6.) Vel quia numerus sex videtur esse operis, & laboris, (1) septimus autem repausationis; dicit remissionem fieri oportere fratribus in hoc mundo degentibus, & secundum res hujus mundi peccantibus. Si autem aliquis ultra ea peccata peccaverit, jam non habebit remissionem. Hieronymus (ubi supra.) Vel intelligendum est *septuagies septies*, id est quadringentis nonaginta vicibus: ut totiens peccanti fratri dimitteret quotiens ille peccare posset. Rabbanus. Aliiter tamen datur venia petenti fratri, ut nobis scilicet sociâ caritate communicet, sicut Joseph fratribus; aliter inimico persequenti; ut bonum ei velimus, & si licet, faciamus, ut David lugens Saul.

(g) Chrysostomus (hom. 62.) Ne aliquis existimaret magnum quid, & grave Dominum injunxisse, cum dicit, dimittendum usque septuagies septies, adjecit parabolam. Hieronymus (hoc loco.) Familiare enim est Syris, & maxime Palestine, ad omnem sermonem suum patet. Thom. Oper. Tom. VIII.

(1) P. Nicolai hæc habet: Septimus autem repausationis, vel quietis; propterea is qui diligit mundum, & ea quæ sunt in mundo agit, sive secularia operatur, septies peccat. Penus ergo tale aliquid intellexit quando putavit esse septies indulgentum. Sed quoniam sciebat Christus extendere aliquos peccata sua etiam ulterius, propterea ultra septenarium numerum addidit adhuc septuagesimum, ut dicit remissionem fieri oportere &c.

rabolam jungere: ut quod per simplex præceptum ab auditibus teneri non potest, per similitudinem, exemploque teneatur: unde dicitur: *Ideo assimilatum est regnum calorum homini regi qui voluit rationem ponere cum servis suis.* Origenes (Matth. 18. tract. 6.) Filius Dei, sicut est sapientia, iustitia, & veritas, ita ipse est regnum; non autem alicujus eorum quæ sunt deorsum, sed omnium quæ sunt sursum; in quorum sensibus iustitia, & ceteræ virtutes regnant; qui facti sunt cæli per hoc quod portant cælestis imaginem. Hoc ergo regnum calorum, id est Filius Dei quando factus est in similitudinem carnis peccati, tunc similis factus est homini regi, uniens hominem sibi. Remigius. Vel regnum calorum congrue sancta Ecclesia intelligitur, in qua Dominus operatur hoc quod in ista parabola loquitur. Nominem autem hominis aliquando designatur pater, sicut ibi, *Simile est regnum calorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo;* aliquando vero designatur Filius; hic autem utrumque intelligi potest, & Pater, & Filius, qui sunt unus Deus. Deus autem Rex dicitur, cuncta quæ creavit regendo, & gubernando. Origenes (tract. 6.) Servi autem hi soli sunt, quantum ad istas parabolas, qui dispensatores verbi habentur, & quibus hoc est commissum, ut negotiatorum, Remigius. Vel per servos hujus hominis regis, designantur omnes homines, quos ad laudandum se creavit, quibusque legem naturæ dedit; cum quibus rationem ponit, quando vitam, & mores, & actus singulorum discutit, ut univique secundum quod gessit tribuat: unde sequitur: *Et cum cepisset rationem ponere, oblatas est ei unus qui debebat decem millia talenta.* Origenes (tract. 6. in 18. cap. Matth.) Omnis autem vitæ nostræ ratio ponenda est à Rege, quando omnes nos præsentari oportuerit ante tribunal Christi. Nec hoc dicimus, ut suspicio sit, ne forte res ipsa necessarium habeat longum tempus. Volens enim Deus ventilare omnium mentes, cito omnia ab omnibus omni tempore gesta, singulis quibuscumque faciet in mentem venire, ineffabili quadam virtute. Dicit autem: *Et cum cepisset rationem ponere,* quia initium iudicii est ut incipiat à domo Dei. In principio ergo ponenda rationis oblatas est debitor talentorum multorum, qui scilicet multa fecerat damna, & magna ei erant injuncta, & nullum attulit lucrum: qui forsitan tot talenta perdidit quantos

C4

per-

perdidit homines; & ideo talentorum multorum est factus debitor, quoniam secutus est mulierem super talentum plumbi sedentem, cuius nomen iniquitas. *Hieronymus* (super *Oblatus est unus qui debebat.*) Scio quosdam istum qui debebat decem millia talenta, diabolum interpretari, cujus uxorem, & filios venundandos, perseverante illo in malitia, insipientiam, & malas cogitationes intelligi volunt. Sicut enim uxor iusti dicitur sapientia; sic uxor iniusti, & peccatoris appellatur stultitia. Sed quomodo ei dimittat Dominus decem millia talenta, & illé nobis confervis suis decem denarios non dimiserit, nec ecclesiastici interpretationis est, nec à prudentibus viris recipienda. *Augustinus* de Verb. Domini (serm. 15. à med.) Ideo dicendum est, quod quia lex in decem præceptis commendatur, illé debebat decem millia talentorum: per quod omnia peccata significat, quæ secundum legem fiunt. *Remigius*. Homo autem sua voluntate & sponte peccans, suo conatu nullo modo surgere valet; & non habet unde reddat, quia nihil in se invenit per quod se à peccatis solvat: unde sequitur: *Cum autem non haberet unde redderet, iussit eum dominus venditari, & uxorem ejus, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi.* Uxor quidem stulti est stultitia, & carnis voluptas, seu cupiditas. *Augustinus* de Quæst. Evang. (cap. 25.) Per hoc ergo significatur, transgressorem decalogi pro cupiditate, & pravis operibus, tamquam uxore, & filiis, pœnas solvere debuisse; quod est pretium ejus: pretium enim venditi est supplicium damnati. *Chrysostramus* (hom. 62.) Hoc autem non ex crudelitate iussit, sed ex ineffabili affectione. Vult enim eum terrere per has minas, ut supplicet, & non vendatur; quod & factum (1) ostenditur cum subdit: *Procidens autem servus ille rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Remigius*. His autem verbis humiliatio, & satisfactio peccatoris demonstratur dum dicitur, *Procidens*. In hoc vero quod dicit, *Patientiam habe in me*, vox exprimitur peccatoris, poscentis tempus vivendi, & spatium corrigendi. Est autem larga Dei benignitas, & clementia erga peccatores conversos: quoniam ipse semper paratus est per baptismum, aut penitentiam peccata dimittere; unde sequitur: *Miserus autem dominus servi illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.* (2) *Chrysostramus* (hom. 62. in Matth.) Vide autem divini amoris superabundantiam: petit servus solius temporis dilationem; ipse

(1) *Al.* est. (2) *In Veneta edit. an. 1521. additur*, idest, à peccatis eum absolvit. (3) *Al.* omittitur enim. (4) *desit* quod. (5) *Al.* pertinet.

autem majus eo quod petiit dedit, dimissionem, & concessionem totius mutui. Volebat autem & à principio dare; sed nolebat solum suum esse donum, sed & supplicationis illius, ut non incoronatus abscedat. Ideo autem antequam rationem poneret, debitum non dimisit, quia docere voluit: à quantis debitis eum liberat, ut saltem ita ad confervos mansuetior fieret. Et quidem usque ad hæc quæ præmissa sunt acceptabilis fuit: etenim confessus est, & promisit se reddere debitum, & procidens rogavit, & debiti magnitudinem cognovit. Sed quæ postea fecit, indigna fuere prioribus: sequitur (3) enim: *Egressus autem servus ille invenit unum de confervis suis qui debebat ei centum denarios.* *Augustinus* de Verb. Dom. (ser. 15.) Quod autem dicitur quod debebat ei centum denarios, ab eodem numero, scilicet decem, sumitur, qui est numerus legis: nam & centum centies fiunt decem millia; & decies deni sunt centum; & illa decem millia talentorum, & illi decies deni à legitimo numero non recedunt: in quo utroque invenies peccata. Uterque est ergo debitor, uterque venæ deprecator: omnis enim homo & debitor est Dei, & debitorem habet fratrem suum. *Chrysostramus* (hom. 62.) Tanta autem differentia est peccatorum quæ committuntur in hominem, & quæ committuntur in Deum; quanta est differentia decem millium talentorum, & centum denariorum: magis autem & multo plus; (4) quod patet ex differentia personarum, & à paucitate peccantium. Homine enim vidente & desistimus, & pigritamur peccare; Deo autem vidente secundum unumquemque diem non abstinemus; sed agimus infirmidabiliter omnia, & loquimur. Non hinc autem solum graviora apparent peccata in Deum, sed etiam è beneficio quo sumus potiti ab ipso: fecit enim nos esse, & omnia propter nos operatus est, animam rationalem nobis inspiravit, Filium suum misit, cælum nobis aperuit, & nos filios suos fecit. Numquid ergo si unaquaque die moreretur pro illo, retribuere ei aliquid dignum? Nequaquam; sed hoc rursus ad utilitatem nostram (5) pertinet. Nos autem è contrario in legibus ejus offendimus. *Remigius*. Sic ergo per debitorem decem millium talentorum designantur illi qui majora crimina committunt; per debitorem autem centum denariorum qui minora committit. *Hieronymus* (super *Oblatus est ei unus.*) Quod ut manifestius fiat, dicamus sub exemplo. Si quis vestrum commiserit adulterium, homicidium, fa-

cri-

crilegium, majora crimina decem millium talentorum roganti dimituntur, si & ipse dimittat minora peccantibus. *Augustinus* de Ver. Dom. (serm. 15.) Sed ille servus ingratus, iniquus noluit præstare quod illi indigno præstitum fuit: sequitur enim: *Et venens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Remigius*. Idest, acriter insistebat, ut vindictam ab eo exigeret. *Origenes* (in cap. 18. Matth. tract. 6.) Ideo, ut arbitrator, suffocabat, quoniam à Rege exierat: non enim suffocaret confervum suum, si non existet à Rege. *Chrysostramus* (hom. 62.) Per hoc etiam quod dicitur, *Egressus*, ostenditur quod non post multum tempus, sed confestim; adhuc quasi in auribus habens beneficium in malitiam abusus est liberatione à proprio domino sibi data. Quid igitur ille fecerit, subditur, *Et procidens confervus ejus rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Origenes* (ubi supra.) Considera subtilitatem Scripturæ: quoniam servus multorum debitor talentorum, procidens adoravit Regem; qui autem centum debebat denarios, procidens non adorabat, sed rogabat confervum, dicens, *Patientiam habe. Chrysostramus* (hom. 62.) Sed neque hæc verba ingratus servus reveritus est, quibus salvatus est: sequitur enim: *Ille autem noluit. Augustinus* de Quæst. Evang. (Lib. 1. cap. 25.) Idest, tenuit contra eum hunc animum, ut supplicium illi vellet.

Sed abiit. Remigius. Idest, magis ira exarsit, ut ab eo vindictam exigeret. *Et misit eum in carcerem donec redderet debitum*; idest, apprehenso fratre, vindictam ab eo exegit. *Chrysostramus* (ubi supra.) Vide Domini caritatem, & servi crudelitatem: hic pro decem millibus talentis, hic autem pro centum denariis; hic confervum, hic autem dominum rogabat; & hic quidem totalem absolutionem accepit, ille autem solum dilationem petebat; nec (1) tamen hoc dedit. Condoluerunt qui non debebant: unde sequitur: *Videntes autem confervi ejus quæ fiebant, contristati sunt valde. Augustinus* de Quæst. Evang. (Lib. 1. cap. 25.) Per confervos intelligitur Ecclesia, quæ illum solvit, & illum ligat. *Remigius*. Vel confervi forte Angeli sunt intelligendi, aut prædicatores sanctæ Ecclesie, sive quicumque fideles, qui videntes aliquem fratrem remissionem peccatorum adeptum, non vellet misereri confervi sui, contristatur de ejus perditione. Sequitur: *Et venerunt & narraverunt Domino quæ facta fuerant. Veniunt quidem non corpore, sed corde. Domino autem narrare, est dolere, & contristationes cordis in suo affectu demonstrare. Sequitur: Tunc vocavit*

eum dominus suus. Vocavit quidem per sententiam mortis, & ab hoc seculo migrare iussit; & dixit ei: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Chrysostramus (hom. 62.) Et quando quidem decem millia talenta debebat, non vocavit eum nequam, neque est conviciatus, sed misertus; quando autem contra confervum ingratus est effectus, tunc dicitur, *Serve nequam*; & hoc est quod dicitur: *Nonne ergo oportuit & te misereri confervi tui? Remigius*. Et sciendum, quia servus ille nullum responsum legitur domino dedisse: in quo demonstratur quod in die iudicii, & statim post hanc vitam, omne argumentum excusationis cessabit. *Chrysostramus* (hom. 62.) Quia vero beneficium non est factus melior, relinquatur ut pœna corrigatur: unde sequitur: *Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoad usque redderet universum debitum. Non autem simpliciter dixit, Tradidit eum, sed iratus: quod non posuit quando iussit eum vendi: non enim hoc erat iræ, sed magis amoris ad correptionem; nunc autem hac sententia est supplicii, & pœnæ. Remigius*. Tunc enim dicitur Deus irasci quando adversus peccatores vindicat. Tortores autem dicuntur dæmones, quia semper ad hoc parati sunt ut perditas animas suscipiant, & in pœna æternæ damnationis eas torqueant. Numquid autem postquam aliquis demersus fuerit in æternam damnationem, poterit invenire spatium corrigendi: aut aditum exeundi? Non; sed *quousque* ponitur pro infinito; & est sensus: Semper solvet, sed numquam perfolvet, & semper pœnam luet. *Chrysostramus* (hom. 62.) Per hoc ergo ostenditur quod continue, idest æternaliter punietur, neque reddet aliquando. Quamvis autem irrevocabilia sint charismata, & Dei vocationes, tamen tantum valuit malitia ut & hæc legem solvere videatur. *Augustinus* de Verb. Domini. (serm. 15. à med.) Dicit enim Deus (Luc. 6.) „Dimittite, & dimittetur vobis: sed ego prior dimisi, (2) dimitte vel postea: nam si non dimiseris, revocabo te, & quicquid tibi dimiseram, replicabo tibi: non enim fallit, aut fallitur Christus, qui subjecit, dicens: *Sic & Pater meus cælestis faciat vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. Melius est enim ut clames ore, & dimittas in corde, quam sis blandus ore, & crudelis in corde. Ideo enim Dominus subdit, De cordibus vestris, ut si per caritatem imponentis disciplinam, de corde lenitas non recedat. Quid enim tam pium, quam medicus ferens ferramentum? Sævit in vulnus, ut homo (3) curetur: quia si vulnus palpatur, homo perditur. Hieronymus* (in sine

Com-

(1) *Al.* omittitur tamen. (2) *Al.* dimitte. (3) *Al.* sanetur.

Comment. in cap. 18. Math.) Ideo & Dominus addidit, *De cordibus vestris*, ut omnem simulationem sicte pacis avertet. Præcipit ergo Dominus Petro, sub comparatione Regis, domini, & servi, qui debitor decem millium talentorum à domino rogans veniam impetraverat, ut ipse quoque dimittat & conservis suis minima peccantibus. *Origenes* (ubi supra.) Vult etiam docere faciles nos esse ad indulgendum eis qui noverunt nobis; maxime si satisfaciunt, & deprecantur sibi veniam dari. *Rabbanus* (super *Oblatus est ei unus.*) Allegorice autem servus

(1) *Al. expetunt, & infra trucidant.*

hic qui decem millia talentorum debuit, Judaicus est populus decalogi legis astrictus: cui Dominus sæpius dimisit debita, quando in angustiis consuituti illius misericordiam deprecabantur; sed liberati omnes debitores atrociter repetebant; & à gentili populo, quasi sibi obnoxio, circumcissionem, & ceremonias legis (1) expetebant; sed & Prophetas, & Apostolos crudeliter trucidabant. Unde tradidit eos Dominus in manus Romanorum, vel malignorum spirituum, qui æternis cruciatibus eos punirent.

CAPUT XIX.

(a) **ET** factum est, cum consummasset Jesus sermones istos, migravit à Galilæa, & venit in fines Judææ trans Jordanem, & secuta sunt eum turba multæ, & curavit eos ibi. Et accesserunt ad eum pharisæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? Qui respondens ait eis: Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & feminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adheret uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandavit dari libellum repudii, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic.

(b) Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, moechatur; & qui dimissam duxerit, moechatur.

(c) Dicunt ei discipuli ejus: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi qui de matris utero sic nati sunt, & sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus, & sunt eunuchi qui seiplos castraverunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.

(d) Tunc oblari sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autem increpabant eos. Jesus vero ait eis: Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cælorum. Et cum imposuisset eis manus, abiit inde.

(e) Et ecce unus accedens ait illi: Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam? Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus est bonus Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. Dicit illi, Quæ? Jesus autem dixit: Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falsum testimonium dices: honora patrem tuum, & matrem, diliges proximum tuum sicut teipsum. Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodiivi à juventute mea: quid adhuc mihi deest? Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus; & habebis thesaurum in cælo: & veni sequere me. Cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones.

(f) Jesus autem dixit discipulis suis: Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cælorum. Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire quam divitem intrare in regnum cælorum. Auditis autem his discipuli mirabantur valde, dicentes: Quis ergo poterit salvus esse? Aspiciens autem Jesus dixit illis: Apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt.

(g) Tunc respondens Petrus dixit: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Multi autem erunt primi novissimi, & novissimi primi.

(a) *Chrys.*

(a) **C**hrystostomus in hom. 63. Dominus prius Judæam relinquens propter illorum emulationem, nunc ibidem jam immoratur: quia passio in proximo futura erat. Non tamen ad Judæam interim ascendit, sed in terminos Judææ: unde dicitur: *Et factum est, cum consummasset Jesus sermones istos, migravit à Galilæa. Rabbanus* (hoc loco.) Hic ergo incipit narrare quæ in Judæa fecit, docuit, sive passus est: & primo quidem trans Jordanem ad orientem; deinde etiam trans Jordanem, quando venit Hierico, & Bethphage, & Hierusalem: unde sequitur: *Et venit in fines Judææ trans Jordanem. Chrysostomus super Matth.* (hom. 32. in op. imperf.) Quasi justus dominus omnium, qui sic diligit alios servos, ut alios non contemnat. *Remigius.* Sciendum est autem, quod omnis illa Israelitarum provincia, generaliter Judæa dicebatur, ad comparationem aliarum gentium. Verumtamen meridiana ejus plaga, in qua habitabat tribus Juda, & tribus Benjamin, specialiter dicebatur Judæa, ad distinctionem aliarum regionum, quæ in ipsa provincia continebantur, idest Samaria, Galilæa, Decapolis, & reliquæ alia.

Sequitur: *Et secuta sunt eum turba multæ. Chrysostomus super Matth.* (ibidem.) Perducebant eum quasi parvuli filii patrem peregre longè proficiscentem. Ipse autem tamquam pater proficiscentis, pignora caritatis filiis reliquit remedia sanitatum: unde dicitur, *Et curavit eos. Chrysostomus in hom. 63.* Considerandum etiam, quod neque doctrinæ verborum continue Dominus insisit, nec signorum operationi; sed nunc quidem hoc, nunc autem illud facit: ut à signis credibilis appareret in his quæ dicebat; ex sermone autem doctrina utilitas quæ erat in signis ostenderetur. *Origenes*, tract. 7. Sanabat autem Dominus turbas trans Jordanem, ubi baptisimus dabatur. Vere enim omnes à spiritualibus infirmitatibus salvantur etiam in baptismo; & quidem multi sequuntur Christum secuti turbæ, tamen non surgentes, ut Mathæus, qui surgens secutus est Dominum. *Rabbanus.* Curat etiam Galilæos in Judæa finibus, ut peccata gentium in eam (1) veniam quæ Judææ parabatur, admitteret. *Chrysostomus in hom. 63.* Curabat siquidem Christus homines, & illis benefaciens, & per eos multis aliis. Horum enim sanatio aliis erat occasio divinæ cognitionis; sed non pharisæis, qui ex signis duriores fiebant: unde sequitur: *Et accesserunt ad eum pharisæi tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? Hieronymus* (in princ. Comm. in 19. cap. Matth.) Ut quasi cognato eum teneant syllogismo, &

S. Thom. Oper. Tom. VIII.

quodcumque respondeat, pateat captioni. Si dixerit dimittendam uxorem qualibet ex causa, & ducendam aliam; pudicitia prædicator sibi videtur dicere contraria. Sin autem responderit, non omnem ob causam debere dimitti, quasi sacrilegii reus tenebitur, & adversus doctrinam Moysi, & Dei facere. *Chrysostomus in hom. 63.* Intuere autem ex modo etiam interrogationis malitiam. Dominus enim supra de lege hac disputaverat; ipsi autem quasi jam nullo dicto interrogant, scilicet opinantes, quod oblitus esset eorum quæ dixerat. *Chrysostomus super Matth.* (hom. 32. in opere imperf.) Sicut autem si videas hominem assidue amicitias medicorum colentem, intelligis quia infirmus est; sic & cum videas virum, sive mulierem de dimittendis uxoribus, aut viris interrogantes, cognosce, quia vir ille lascivus est, mulier illa meretrix est: nam in matrimonio castitas delectatur, libido autem quasi vinculo conjugii alligata torquetur. Sciebant autem quoniam nullam causam idoneam habebant circa dimittendas uxores, præter solam turpitudinem, & alias aequalias sibi jungebant. Timuerunt autem interrogare, ex quibus causis, ne seipso infra angustias certarum causarum astringerent; sed interrogaverunt si ex omnibus causis licet: scientes, quia modum nescit, nec infra terminos unius conjugii caput libido; sed quanto magis exerceret, magis accenditur. *Origenes* (tract. 7. in Matth.) Tentato autem Domino, nullus discipulorum ejus, qui positus est ad docendum; graviter ferat, si tentatus fuerit à quibusdam: tamen & tentatoribus respondet dogmata pietatis. *Hieronymus*, ubi supra. Sic autem responsionem temperat ut (2) decipulam eorum transeat. Scripturam Sanctam adducens in testimonium, & naturalem legem, primamque Dei sententiam secundæ opponens: unde sequitur: *Qui respondens ait eis: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & feminam, fecit eos? Hoc in exordio Genesis scriptum est. Dicendo autem masculum, & feminam, ostendit secunda vitanda conjugia: non enim ait, masculum, & feminas: quod ex priorum repudii quærebatur; sed masculum, & feminam, ut unius conjugii consortia neckerentur. Rabbanus* (super *Erunt duo in carne una.*) Salubri autem consilio Dei factum est ut sui corporis portionem vir amplecteretur in femina, nec à se putaret esse diversum quod de se cognosceret fabricatum. *Chrysostomus super Matth.* (hom. 32. in opere imperf.) Si ergo (3) ad hoc Deus matrem, & feminam ex uno creavit ut sint unum; quare ergo & de casto

D4

vir,

(1) *Al. vineam* (2) *Al. discipulam, utm disciplinam.* (3) *Al. ex hoc.*